



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Iure Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De Solutionibus. Consilium CCCLXIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98716)

nuper abhinc septem mensibus, per Dominos Iudices appellationum hujus Vniversitatis in causa Magistri Nicolai Tutoris judicatum fuit. Quod non dicimus, quasi exemplis judicandum sit eum, l. Nemo Iudex C. De sentent. & interloc. omnium iud. sed ut intelligatur Reum sine exemplo hanc promptam nantizationem non diffugere aut calumniandi, ludificandi aut differendi iudicii causam (quod ab Advocato Actoris ei obijcitur) hac ex parte nullo modo querere.

15

Secundò, perinde probabilis est Rei contraditio, adversus Actoris petitionem, dum à Reo cautionem iudicio sisti, & judicatum solvi exigit: nam manifesti juris est, possessorem rerum immobilium, non teneri ad ullam satisfactionem; sive sit iudicio sisti, sive iudicatum solvi, l. Sciendum & ibi Glos. & DD. d. Qui satisf. cog. cum sit quo creditori seu Actori consulatur, tam quoad iudicati consecutionem, quam litis contestationem. Quamvis autem Actor videatur facere significationem Reum vel nulla vel suspecta habere bona immobilia; rei tamen evidentia constat de contrario; non tantum quod ex parte uxoris multa habeat bona immobilia, quæ secundum notoriam hujus Oppidi consuetudinem, contra Acti æris alieni constante matrimonio onus agnoscere quoque debet, si marito in mobilibus succedere, & immobilium usufructum obtinere velit; sed etiam propria, atque ipsi & uxori communia, constante matrimonio in Bevecum & locis vicinis acquisita; quæ in executione iudicati apprehendi, & per matrimonium ex notoria consuetudine hujus Oppidi etiam sine consensu uxoris obligari & alienari possunt:

16

* ita ut iniuriæ aliquam speciem contineat, Reum latis possessionibus, & divite suppellectile instructum, urgeri ad aliam cautionem seu satisfactionis speciem, Argum. l. Si vero §. quapro rei Qui satisf. cog. l. Si creditor cum l. sequen. d. De iur.

17

Qua ratione improbable quoque est Actoris tertium factum; quo curavit Reum arrestari, & per impignorationem personæ suæ hic detineri; sic ut non possit incumbens sibi negotiis vacare, & quod vocat necessitas, proficisci. Nam neque dicta satisfactionis petitio iustam causam hujusmodi arresto præbet, ob rationes jam dictas; neque etiam (quod Advocatus detexit) contestanda litis per protectionem Rei subtrahenda facultas: nam cum per responsum Rei ad petitionem Actoris satis sit facta litis contestatio, & unico Delictis contest. nihil est, quod rursus ad eam urgeatur Reus, aut ob eam aliquam molestiam patiatur. Nam quod Actor causificatur, Reum in Burgundiam parare protectionem, nullam habet fugam, seu subterfugendam hujus litis, suspensionem, quando illum eò negotia privata vocant, neque propter illius absentiam, eremodicij contrahendi ulla sit periculum: ob id, quod Procuratorem ad hanc litem constituerit, cum quo lis agi & peragi possit. Adde quod hujusmodi personæ detentiones à captivitate non multum distantes, à jure communi exorbitant, & illi adversentur, l. Ob as & ibi DD.

c. de oblig. & action. Auth. Vi non fiant pignorat. coll. 5. Lud. Rom. consil. 224. Ista captiva nu. 7. cum alijs remedijs Actoribus contuli possit; per missionem in bona, d. Ex quib. caus. in poss. eat. vel bonorum propter absentiam excusationem, ac distractionem, Lud. Rom. consil. 93. Visis quæ superius. Ita ut in hac Vniversitate eorum rarissimus, & paucissimus debeat esse usus; quia jure communi magis, quam consuetudinario utimur, præsertim in respicientibus ordinem iudiciorum, ut superius diximus: inter quæ numerari debent hujusmodi arresta, quod nullam particulam litis decidant.

Cum ergo Reus immobilia possideat, & in hoc Oppido habitator continuus sit, instructamque & splendidam habeat suppellectilem, & apud omnes in bona reputatione ac fama sit, & protectionis causa temporaria tantum sit, relicto procuratore litis, nullum fugæ aut latitandi consilium continens; meriti hujusmodi arrestum laxari, & ab imperanda ulteriori cautione abstinere debet, Lud. Rom. consil. 241. Spectabiles Domini n. 9. Sanè Rei petitio, ut Actor caveat pro expensis, omnino iusta est; quod Actor forensis sit, nec immobilia in hac patria possideat: quæ duo cum suspensionem fugæ facillime ingerant, iustam continent causam imperandæ cautionis postulante adversario, eleganter Socin. d. consil. 120. Cum in presenti nu. 4. v. l. 1.

De Solutionibus.

SUMMARIVM.

Solutio an sit in assignatione debitoris.

1. Nullitatem sententiæ inducit falsa causa sententiæ inserta.
2. Confessio qualificata tota acceptari vel rejci debet.
3. Nomen qui cedit an statim liberetur.
4. Delegationis potestas; & an statim liberetur debitorum.
5. Cessio non impedit quin cadens agere possit.
6. Solutum non videtur quod solutum non perdarat.
7. Debitoris assignatio quando debui confessionem inducat.
8. Compensans confiteri censetur.

CONSILIVM CCCLXIII.

SENTENTIA Magnifici Domini Rectoris adversus Magistrum Hobertum Deym, pro Domina Antonia vander Gracht Rea, lata, injusta est in hoc appellationis iudicio; propterea per Venerabiles Dominos Iudices appellationum reformanda: ob id, quod idem Magnificus Dominus Rector per suum decretum vim sententiæ habens, præsuppositâ veritate

veritate debiti petiti, præfatam D. Ream ab instantia iudicii absolverit; A. Actore in expensis litis condemnato; † idque ex falsâ causâ dictæ sententiæ expressim insertâ; quæ expressio etiam plurimum facit ad dictæ sententiæ nullitatem inducendam, l. 2. C. Quando provoc. non est necesse: quasi scilicet vxor dicti Magistri Huberti, ex assignatione Domine Reæ contenta fuerit nomine Magistri Lævini Meganck; quod ex actis verum esse non constat, neque id ex confessione procuratoris verum esse deprehendi potest: quoniam illa simplex & absoluta non est, sed qualificata; quia scilicet Domina Rea dictæ uxori persuaserit, quod Magister Lævinus eius debitor esset; quod tamen inquisitione factâ M. Lævinus negavit, idque ex assertionem ejusdem M. Lævini verum non esse comperit. † Neque enim confessio qualificata, vel conjuncta dividi, sed tota acceptari, vel tota rejici debet, Bart. in l. Aurelius §. idem quasi De liberat. leg. Canonist. in c. Cum accessisset De constitut. Lud. Rom. consil. 353. Quoad primum. Cum ergo persuasione falsâ inducâ A. Actoris uxor assignationem admiserit, non debet ea vim solutionis aut liberationis operari, argum. l. Servus tuus §. si persuaserit De dolo malo. * Qui enim solemniter vendit, aut creditori suo cedit nomen debitoris sui, non statim liberatur à creditore, cui cessionem seu assignationem fecit, l. Pupilli debitor §. soror De solutionib. sed hic debet præstare, & demonstrare, quod sibi verè & liquidò debeat is, cujus nomen assignavit, l. Si nomen cum l. seq. D. De heredit. vel act. vend. alioqui ignorantia decipi præfatam uxorem, prorsus à ratione alienum est, Bart. in l. Qui satisfacere nu. 7. de fideiuss. Quamdiu ergo non probavit Rea M. Lævinum sibi debere, effectus assignationis nullus esse potest. * Quamvis in delegatione id non requiratur; ob id, quod delegatio fiat non tantum ex nuda assignatione debitoris; sed etiam ex consensu, & interveniente promissione ejus, cujus nomen assignatur, & in solutum datur, l. Delegare de novat. & deleg. l. i. C. eod. tit.

Quod in proposito constantius dici potest ex eo, quod exactis constat, ante hanc Magnifici Domini Rectoris sententiam, D. Reæ obiectum fuisse, quod M. Lævinus se aliquid D. Reæ debere negaverit; eaque de causâ inter ipsam D. Ream, & M. Lævinum coram eodem D. R. Actore litem pendere; de qua in hac instantia apertius constat, per dictæ causæ A. Actorem repetitionem. Ex quibus, atque etiam per exhibitionem apochæ dictæ D. Reæ, constat debitum illud minime liquidum; sed in controversia fuisse, ac tandem per transactionem redactum ad dimidiam summam, quæ etiam si debito per A. Actorem petito, post transactionem sufficere poterat; quia tamen transactione prius debitum novatum, & per procuratorem Reæ exactum fuit, ac per M. Lævinum Reæ seu ejus procuratori ejus nomine solutum; non potest præcedens hujusmodi assignatio D. Reæ ad liberationem ab hoc debito patrocinari. Cum enim nulla per Dominam Ream (uti dictum est) facta fuerit delegatio; imò nec solennis cessione per transportum actionis suæ adversus M. Lævinum.

Conf. Wamef. Tom. II.

num coram Notario & testibus, sed tantum nuda verbalis assignatio; non potest hujusmodi assignatio operari liberationem non secutâ exactione A. Actoris; & omnium inquam eodem assignato debito per D. Ream petito & exacto; propter fragilitatem hujusmodi cessionis seu assignationis; † quâ non obstante, Rea idem cellum seu assignatum debitum, & per cessionarium nondum petitum & exactum petere atque exigere potuit, l. 3. C. De novat. * Solutum enim, aut in solutum datum, censi non debet, quod solutum non perdurat; nec censetur solvere qui quod solvit, seu pro solutione assignavit, repetit, l. Quis si solvit De solut. Ita ut omnia diligenter expendendo, Rea extra affectationem doli, seu saltem in bona fide esse non videatur: præferim nunc cum sub exitum hujus litis totâ causâ peractâ, procurator Reæ negare incipiat debitum petiti, exceptis sex florenis, quod in prima instantia nusquam negavit, sed per prædictæ assignationis objectionem, pro soluto haberi voluit: uti clarius per verba dictæ assertæ sententiæ Magnifici Domini Rectoris, declaratur.

† Hujusmodi enim assignatio non continet nudam exceptionem, in qua non solet latere vis confessionis, l. Non utique De reg. jur. c. Exceptionem eod. tit. lib. 6. sed positivam agnitionem & confessionem debiti: † uti etiam obtinet in objectione compensationis, Bald. in l. Cum Papinianus C. De sentent. & interloc. om. inducum. Neque curanda est scedula, manu quondam mariti D. Reæ scripta; nam illa nullam datam habet; sic ut de certitudine temporis, quando id acciderit, non constat. Quamvis A. Actori, deficiente etiam hac D. Reæ satis aperta confessione, non admodum difficile foret, de veritate hujus debiti per exhibitionem librorum seu Registorum negotiationis vini probare; & id jubentibus, decernentibusque Dominis Iudicibus ex officio, lubenter est facturus; licet id necessarium non esse putemus. Sic ut quoquò res vertatur, stare non possit D. Rectoris sententia: qui præcipitanti D. Ream, non ab impetitione, sed ab instantia iudicii absolvit. Ideoque Dominorum Iudicum officium esse, ut D. Ream A. Actori condemnent in summa petita, & in expensis non tantum hujus, sed etiam prioris instantiæ, propter evidentem malam fidem in prima instantia allegatam, & in hac secunda evidentiùs detectam.